



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Sectio I. An in Diuinis personis sit potentia productiua notionalis realis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

quoniam voluntas creata id potest mutatione sui actus: in creata verò voluntas, cum sit immutabilis, nequit hoc prestare per mutationem sui actus; ergo per mutationem obiecti.

77. QUARTA sententia est planè nostra. Atque hæc de signis prioritatis & posterioritatis in communi; plura in materijs proprijs.

DISPVATIO XXIII.

De Potentia productiua Diuinarum Personarum.

SECTIO PRIMA.

An in Diuinis personis sit potentia productiua notionalis realis.

1. **P**RIMA sententia negat. Est Aureoli in 1. dist. 7. p. 1. ar. 2. quod multis probat. Summa probationis est. Vbi nulla est productio elicita, nullum est

principium productiuum: in diuinis nulla est productio elicita: igitur nullum principium productiuum. Maior liquet, quia vbi nulla est productio elicita, nulla est distinctio productionis & producentis: vbi nulla est distinctio productionis & producentis, nullum potest esse principium producens, cum inter productionem & productum intercedere oporteat distinctio. Minor primi syllogismi probatur; nam in diuinis duæ tantum sunt productiones, generare, & spirare: at nulla ex his est elicita, sed vtrique identificata cum principio ipso generante, & spirante. Confirmatur, quia Pater non habet potentiam realem, vt sit Pater; alioqui haberet potentiam realem ad seipsum producendum: ergo nec habet potentiam realem ad gignendum Filium. Consequentia probatur, nam ideo Pater est Pater, quia Filium gignit: ergo si haberet potentiam ad gignendum Filium, haberet potentiam ad esse Patrem.

2. SECUNDA sententia affirmat. Est S. Thomæ 1. p. q. 41. ar. 4. Syluij ibid. & communis Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 7. quæ adeo vera est, vt nequeat sine maxima temeritate negari. Fundamentum est. In Deo est realis productio, à producente realiter distincta; ergo est realis potentia productiua. Antecedens constat ex disputatis de processionibus in communi. Consequentia verò patet, quia vbi est productio à producente realiter distincta, est realis potentia: si igitur in Deo est realis productio à producente distincta, erit realis potentia productiua. Non igitur potentia productiua in Deo dicit solam non repugnantiam, & actuaalem connexionem terminorum, vt Aureolus autumat, sed veram & realem rationem principij.

3. DICES. Potentia dicitur respectu termini possibilis. Atqui in Deo nihil est possibi-

le. Igitur in Deo non est potentia realis. Minor patet, nam quidquid in Deo est, actu est, vt pote ens necessarium & à se. Maior probatur, nam potentia productiua origine præexistit termino producendo: ergo concipi, & esse potest sine termino actu existente. Respondeo cum distinctione minoris: in Deo nihil est possibile, prout possibile dicit contingens, concedo, prout possibile continetur sub necessario producto, nego. Ita S. Thomas loco præcitato ad 2. Ad probationem distinguo antecedens: quidquid in Deo est, actu est, prout actu esse excludit potentiam passiuam, & temporis durationem, concedo; prout actu esse excludit potentiam actiuam, & prioritatem originis, nego: quia hoc non repugnat actui puro. Nego autem, potentiam actiuam in Deo concipi, aut esse posse sine termino actu existente; quia licet terminus originetur à potentia, quoniam tamen originatur necessario, & essentialiter, nequit intelligi potentia productiua in Deo, quin simul intelligatur actu producens, atque adeo cum termino actu originato. Neque enim implicat, aliquid esse prius origine, & tamen concipi non posse absque termino à se originato; quando actu originare est de essentia principij originantis, vt est respectu potentie productiue notionalis diuine. Neque esse prius origine aliud importat, quàm esse id, à quo est originatum: quod stare potest cum simultaneitate conceptionis originantis cum ipso originato.

4. Ad fundamentum oppositæ sententiæ distinguo minorem: in Deo nulla est productio elicita actiua, concedo; nulla est productio elicita passiuæ, seu quasi passiuæ, nego. Atque hæc sufficit ad potentiam productiuam realem, vt per se patet. Ad probationem concedo minorem, de generare & spirare actiuo; nego autem de generare & spirare passiuo, respectu cuius tantum ponitur potentia productiua in Deo. Ad confirmationem nego consequentiam. Ad cuius probationem distinguo antecedens: ideo Pater est

Pater

Aureolus.

S. Thomas.
Syluius.
Magister.
Scholastici

S. Thomas

Pater finaliter, vt Filium gignat, concedo: ideo est Pater causaliter, seu originaliter, nego; Pater enim non habet esse Patris media generatione Filij; licet sit Pater, vt Filium gignat.

SECTIO II.

An potentia productiva notionalis formaliter importet essentiam, an relationem, an utramque simul?

5. **H**Æc est omnium, me iudice, maxima, quæ circa hoc altissimum mysterium agitur, difficultas: nam ex decisione huius maxima ex parte pendet perfecta, intelligentia huius mysterij.

6. PRIMA sententia docet, solam essentiam esse proximum & immediatum principium productivum; relationem verò solum requiri vt conditionem, sine qua non ad hoc, vt potentia distinguatur à termino producendo. Est Magistri in 1. dist. 7. littera F, S. Tho. 1. p. qu. 41. art. 5. Caietani ibid. Egidij in 1. dist. 7. art. 1. qu. 2. Scoti q. 1. §. Loquendo, Capreoli q. 1. art. 1. concl. 2. Bassoli qu. 1. art. 3. Argent. ar. 1. Gabrielis q. 1. & 2. Palatii disp. vnica, Ferrariensis 4. contra gentes cap. 17. §. Considerandum etiam, Bannez 1. p. qu. 41. ar. 5. Syluij, Zumel, Molina ibid. Vasquez disp. 164. cap. 3. Suar. lib. 6. de Trinit. cap. 5. Torres 1. p. qu. 41. art. 5. & aliorum.

7. Probatur 1. Hæc sententia autoritate Patrum communiter affirmantium, generationem in diuinis esse opus naturæ: item Filiū & Spiritum sanctum procedere de substantia ipsa producentis. Speciatim verò Anselmus in monologio c. 52. vbi loquens de processione Spiritus sancti: *Non ex eo inquit, procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo, in quo vnus sunt. Nam nō ex relationibus suis, quæ plures sunt, sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* Quin etiam oppositam sententiam idem Auctor in epist. de processione Spiritus sancti c. 10. notat his verbis. *Nisi forte quis dicat, Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris, sed de paternitate; nec per Deitatem Filij, sed per filiationem, quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat.* Hæc Anselmus.

8. Probatur secundò. Autoritate Concilij Florentini sess. 18. & 19. vbi Ioannes Theologus agens partes Latinorum expressè docet, principium quo persona in diuinis producit, esse naturam: *Principium, inquit, quo persona generat est id, quod solum est communicabile.* Atqui sola natura in diuinis est communicabilis. Igitur sola natura in diuinis est principium Quo generationis. Id ipsum confirmat exemplo generationis humanæ: cuius sicut principium Quo, est humanitas, principium verò Quod est homo: ita in generatione diuina prin-

cipium Quo est Deitas, principium verò Quod est ipsum suppositum Patris; eò quòd actiones tribuantur supposito.

9. Tertio probat eandem sententiā S. Thomas ratione, qua reliqui ferè Theologi vtuntur. Illa est potentia agendi in quolibet agente, in qua agens sibi assimilât productum: sed in diuinis persona producens sibi assimilât personam productam in sola natura: igitur potentia producendi in diuinis est sola natura. Minor constat: nam in persona producta sunt duo; natura & personalitas: atqui persona producta non procedit similis producenti in personalitate, cum in ea potius procedat dissimilis & opposita principio producenti; ergo in sola natura. Maior probatur, nam omne agens agendo intendit assimilare sibi productum in forma, qua agit, vt inductione constat in omnibus agentibus. Homo enim gignendo assimilât sibi genitum in natura humana, cuius virtute homo fit potens ad gignendum; non autem in perfectione indiuiduali, quæ est tantum conditio ad gignendum.

10. Quarto probat Scotus. Si Deus produceret Deum natura distinctum, produceret illum per Deitatem, tanquam per rationem proximam producendi, non autem per proprietatem aliquam relatiuam: ergo neque nunc producit illum per proprietatem aliquam relatiuam, tanquam per potentiam proximè productiuam, sed per ipsam Deitatem. Consequentia probatur, quia nunc producit Deum comunicando illi eandem numero naturam: tunc verò produceret Deum, comunicando illi diuersam numero naturam. At minus est communicare eandem, quam diuersam numero naturam. Igitur, si tunc principium proximum producendi Quo esset Deitas, à fortiori etiam nunc principium proximum producendi Quo erit eadem Deitas.

11. SECUNDA sententia affirmat, naturam simul & relationem esse proximum principium productivum in diuinis: ita vt relatio non se habeat tantum vt conditio, sed vt formalis ratio integrans proximum principium producendi. Est Alensis 1. p. qu. 42. membr. 3. artic. 1. ad 7. & art. 2. in fine, Henrici in summa quodlib. 3. qu. 3. & in summa ar. 54. qu. 6. ad 8. & artic. 59. qu. 2. §. De potentia, qui tamen putat, principalius ad producendum concurrere relationem, quam essentiam. Est etiam Richardi in 1. dist. 7. qu. 1. Bacconi dist. 5. ar. 4. & 5. Valentij 1. p. qu. 15. puncto. 2. Arrubalis disp. 143. c. 3. Zunigæ disp. 16. dub. 6. membr. 3. Philippi Gamachæ, Et videtur etiam Didaci Ruiz disp. 100. sec. 5. Fundamentum est, quia potetia productiva duo essentialiter importat, & realem distinctionem à termino, & virtutem assimilatiui termini. Atqui potentia productiva notionalis in Deo importat distinctionem à termino per proprietatem relatiuam; virtutem verò assimilatiui termini per ipsam essentiam: igitur utramque essentialiter includit ex æquo.

S. Thomas

Scotus.

Alensis.
Henricus.Richardus.
Bacconus.
Valentia.
Arrubal.
Zuniga.
Gamachæus
Ruiz.Magister.
S. Thomas.
Caietanus.
Egidius.
Scotus.
Capreolus.
Bassolus.
Argentius.
Gabriel.
Palatinus.
Ferrariensis.
Bannez.
Syluius.
Zumel.
Molina.
Vasquez.
Torres.
Suarrez.

Anselmus.

Conc. Flor.
Ioannes
Theologus.